

V I R O .

FRAGRANTISSIMÆ. QUONDAM. FAMÆ.  
EXQUISITISSIMÆ. PRUDENTIÆ.

ET.

INNOCENTISSIMÆ. VITÆ.

T O B I Æ .  
R Ö S N E R O .

ORDINIS. APUD. WSCHOVENSES. CONSULARIS. SENIORI.  
DUM. VIVERET. SPECTATISSIMO.

ÆDIS. SACRÆ. CUI. A. PRÆSEPI. CHRISTI. NOMEN. EST  
ANTISTITI. ID. LOCI. DEXTERRIMO.  
PRIMÆQUE. CAVEÆ. MERCATORI.

A. MDCC. XVII. KAL. MAII. FATO. SUO. PERFUNCTO.

VI. NON. MAII. QUIETORIO. SUO. ILLATO.

BELLIS. PESTE. RAPINIS. INCENDIIS. ET. IMPOSTURIS.  
AFFLICTISSIMO.

MERITIS. PRÆCLARISSIMO.

VITA. LONGIORI. SI. FATA. SIVISSENT. DIGNISSIMO.

AMICO. NON. E. MULTIS. ET. SENI.

IPSA. CANITIE. VENERABILI.

ANNUM. ÆTATIS. LXXIII. SUPERGRESO.

MERITORUM. IN. SE. COLLATORUM. MEMOR.

MONUMENTUM. QUOD. EXSTRUERE. POTUIT.

NON. SINE. DOLORIS. VULNERE. POSUIT,

NOMINIS. RÖSNERIANI. BENE. OLENTISSIMI.

CULTOR. OBSTRACTISSIMUS.

Ex. 281/32

Vers. Joh. Goltz Rösner

Publicat. Th. Jagode 3. Aufl.

mit 22

543

BEATI. RÖSNERI.  
PIGNORIBUS. LECTISSIMIS.  
FILIO. UNICO.  
FILIABUS. DUABUS.  
EARUMQUE. MARITIS.

NEC. NON.

IN. SPEM. PATRIÆ.  
DECUSQVE. ET. ORNAMENTUM.  
FAMILIÆ. SPLENDIDISSIÆ.

ADOLESCENTIBUS.

NEPOTI. UNI.  
ET. NEPTIUM. QUADRIGÆ.

HOC. QUICQUID. EST. MONUMENTI.

GENITORI. SOCERO. ATQUE. AVO.

DESIDERATISSIMO.

ERECTI.

PERPETUUM. IISDEM. OMNIBUS. ET. SINGULIS.

FLORIDISSIMÆ. FELICITATIS. VER.

EX. ANIMI. SENTENTIA.

EXOPTANS.

OFFERT. AUTOR.

Stadtbibliothek  
Chorn

AB 1892

KSIĄŻNICA MIEJSKA  
IM. K. STANISŁAWA  
W TORUNIU

... ( ✠ ) ...



**V**irorum, de Egregio publico egregiè meritorum, Memoriam, ab Oblivionis Nocte vindicare, eorumque Vitam, inter Laudes & Præconia actam, ad seram Posteritatem, si qua futura est, transmittere, non Pietati solùm minimè fucatæ conveniens, sed & Consuetudini, à summotis longè Ætatibus, apud plerasque Gentium receptissimæ, consentaneum est. Hòc enim ipso fit, ut & grata erga piè defunctos, Mens, ceu fas est, declaretur, & suus Virtuti Honos, quem perpetuum & individuum Sibi Comitem delegit, quoque nunquam temerè denudanda, defraudanda nunquam est, decernatur. Quid? quòd hòc Pactò omnes & Singuli, quotquot frugi sunt & bonæ Mentis Possessores, ad Æqui & Honesti, Recti & Decori Tramitem, Gradu indefesso calcandum, tacito quodam Instinctu incitantur quasi & invitantur, qui verò maligni malevolique, & quid Æra Lupinis distent, nescii sunt, quodque suspicere debebant, altò quodam Superciliò despiciunt, & Dente Theonino rodunt,

A

dunt, ut resipiscere, in Seipsos descendere, & ad Frugem se meliorem recipere discant, alliciuntur atque inflammantur. Quin & admonentur, quàm iniqui in eos, in quos Criminationis & Obtrectationis suæ Rabiem, evomere non dubitârunt, extiterint.

Meruit sanè si quis alius insigniter admodum de Egregio quod apud *VV*schovenses in Majori Polonia floret publico, per Annos benè multos, antiquâ quondam Virtute & Fide Vir, **TOBIAS RÖSNERUS**, Ordinis id Loci Consularis Senior gravissimus, & *Ædis* illic Sacræ à Præsepi Christi denominatæ, Antistes præfulgidus, nec non primæ Caveæ Mercator, utpote qui demandatis Sibi Muneribus splendidissimis, tantâ præfuit Fidelitate, Dexteritate tantâ, ut non solum Laudis Adorem meritissimo id propter suo hinc reportaverit, sed & vel Cordatissimo circumspectissimoque curvis Successori, *Æmulationem* utrinque difficillimam, reliquerit, Palmam sanè dubiam reddere possit. Id quod, si aliunde non liqueret, satis evidenti certè profectò omnique Exceptione majori Testimonio, Rerum Domi feliciter, fideliter foris gestarum, ipsi esse posset, ardentissimum sui Desiderium, quod apud omnes, quibus Cor sapit, & quibus in Notitiam ipsius penetrare licuit, post Fata reliquit. Colligere enim licet ex Indiciis haud obscuris, Partium ipsum Rerumque suarum ad Invidiam usque fuisse satagentissimum, siquidem Nemo quisquam in Civium *VV*schovensium Numero admodum populofo reperitur, qui non subductum præter omnium Vota, viventium Numero, **RÖSNERUM**, copioso Lacrymarum spissè fluentium Imbre lugeat, Votisque ab omni Simulatione alienissimis exoptet, ut, qui eximius, dum Vitâ frueretur Documentis sat abunde probatum dedit, se ab omnibus, Regentes quæ decent Virtutibus fuisse instructissimum, in Vitam, si fieri possit, redeat, & Muneribus, quæ dexterrimè, ad ultimum usque Vitæ Halitum administravit, communi porro Emolumento, fungatur.

Ea

Ea namque est ingentium Bonorum Indoles, ut, quò dulciùs dum possidentur, recreant, hòc amissa postmodum crudeliùs affligant. Ea insuper Virtutis est Conditio, ut viventibus, à quibus possidetur Hominibus, parvi æstimetur & vilis censeatur, post Fata verò eorum, magni fiat, & in pretio habeatur. Ea quoque Laudis, Unguento fragranti similis est Ratio, ut non vivos tantum, sed & defunctos, & dudum Terræ insepultos comitetur.

*Quantum ad Me, & injurius haud dubiè in Amicitia Leges, & malum Nomen forem, invisam juxtà ingrati Notam, quam omni à me Studiò & Operâ amoliendam esse reor, certò certius incurrem, nisi si RÖSNERO Ego meo, aliquam in Mnemosynes Fano Tabulam suspendere, eique, cum aureum aut marmoreum, quò omninò dignissimus est, nequeam, chartaceum tamen, idque minimè ruinosum Monumentum exstruerem, ut vel sic odoratissimam ejus Famam, Memorie Peplo intexisse, Tumulo ipsius, More antiquo, Rosas, ex Merito, aspersisse, Odorem de Eo non ingratum diffudisse, & Unguentum quoddam fragrans pollingendis Ejus Exuviis attulisse videar.*

Hoc ipsum dum molior nihil quidem magis in Votis habeo, quàm ut meras hìc Rosas loqui possem, at verò, commodum mihi isthæc scribenti in Mentem venit, quàm alienus Beatus ille RÖSNERUS, Superùm Choro annumeratus, dum Spiritum duceret, ab omnibus Verborum Phaleris, & Lenociniis fuerit, quàmque Purpurissum, pro eo quo fuit Candore, nunquam oluerit. Indeque hoc minùs phaleratis purpurissatissime Ver-

Verbis, quæ vel Fucum, vel Ungves admorsos sapiant, nunc quidem opus mihi esse existimo, quò magis Eum, cujus hîc Vitam descriptam sistimus, id Genus Verba fuisse exosum, apud plerosque omnes constat, quibus Virtutes ejus minimè cerussatæ innotuerunt. Et quanquam non præter Rem vereor, ut Ære meo penitus hac Ratione exire, Nomenque meum omne expedire possim, satis tamen præclarè mecum actum opinabor, Metamque attigisse mihi videbor, si vel aliquà gratæ Mentis Characterem, erga Virum, omnibus charum, molestum Nemini, exposuerro, simulque quà decet, caverò, ne Fraudis ac Intertrimenti quid, Fama ipsius perenniviva, vel per Incuriam meam, vel Temporum, denique Injuriam patiatur. Brevi proinde Stylô & Filô, Vitæ, laudabiliter & ad perfectissimæ Virtutis Normam ab Ipso exactæ Decursum in præsentia adumbrabo, eamque rudi, quod ajunt, Minervâ percensebo.

*Satum autem, ut à prima veluti Plantatione, & ab ipso quasi Ortu exordiamur, Hortoque hujus Mundi, Spinarum fertili, Sterili Rosarum, insitum esse accepimus, A. Æ. C. MDCXXVII. ipsis Kalendaris Januarii. Natalis ipsi Hortus obtigit, felicissima illa optimorum quorumvis Ingeniorum Cultrix, & feracissima eorundem Plantatrix, nec non Virtutum candida Æstimatrix, quæ Camporum aliàs Elysiarum Nomine venit, & quam, cum Regionum Europæarum Ocellum, tum Musarum & Elegantiarum omnium, amœnissimum quoddam Viridarium, non ab Re dixeris, SILESIÆ. Editus enim in hanc Lucem est Svebosii, quod Oppidum Regionis commemoratæ censei solet,*

solet, haudquaquam ignobile. Satorem, Plantatoremque, fortunatissimâ quâdam nascendi Sorte, nactus est Patrem Sibi cognominem, Virum, Antiquitate Generis, Celebritate Nominis, & Dignitate Existimationis undiquaque Excimium, **TOBIAM RÖSNERUM**, Praedii, cui Mühlbachio Nomen, in Circulo Svebosensi siti, Principalis Trebenitiensis Foundationis, Feudatarium Possessorem, & Casarea Regiaeque Civitatis, Svebosensis, Consulem Primicerium. Matrem verò veneratus est Matronam rarissimi atque inusitati prorsus Exempli, **ELISABETHAM** Natalibus **BERNHARDIAM**, praesigne Sexûs sui Ornamentum. Majores utriusque Stemmatis si quis sciscitetur, nihil planè in iis omnibus vel ipse Livor edax, adinveniet, quod carpi mereatur, siue enim Ottum ipsorum, siue Vitam, siue Fortunam, siue Res denique benè & praecclare gestas spectes, nullibi non Honoribus illoditissimos, affluentissimos Gloriâ, fuisse, liquidò patebit.

Non secus ac Rosa, siue Colorem varium, siue gratum Odorem, siue Comam Oculis abblandientem, siue Succum non insipidum, siue Folia, Ordine concinno disposita, siue Acetum, siue Salgama, siue Unguentum ex ea præparatum penitiùs contempleris, Florem se nobilissimum, inque Re medica laudatissimum, imò Florum Reginam, & Oculorum Nariumque Delicium, prodit probatque, ita, si Roesnerianos Majores Animò tecum exputes, nihil non Laude, nihil non Commendatione dignum ubique se offert. Horum hìc mihi aliquem eumque cultissimum, & varii Generis Floribus cumulatissimè obsitum & obseptum, cum Epigraphe: **EXCULTUS UBIQUE;** intrare videor, dum Majorum Roesneria-

norum, ad quos me devolutum sentio, injicienda est Mentio, ita omnia undiqueversum, odorata, fragrantia se mirum quantum exhibent omnia.

*Avum scilicet Paternum coluit Virum Consulari Dignitate & Prudentiâ non triviali, in Urbe Svebosensi effulgentem, JACOBUM RÖSNERUM, Aviam verò ejusdem Lateris, honestissimæ Gentis & Mentis jubare eminentem Fæminam, EVAM, Genere BUSCHIAM. Materni verò Stemmatis Avum indeptus est Virum, Meritorum Gloria, & Usu Rerum benè gerendarum, nulli postponendum, MARTINUM BERNHARDI, Collegio Consulari in Urbe Electorali Züllichoviensi, adscriptum, nec non Ærarii Præfectum, Prætozemque Aulicum, quaquavorsum nominatissimum. Aviam autem illius Lineæ, Fæminam multò Virtutum Ornamentò enitentem habuit, MARGARETHAM, natam JRMISCHIAM, Sexûs sui Margaritam.*

Ab hisce Majoribus & Parentibus, Famæ, Vitæ, Morumque Integritate non vulgari coruscantissimis, & Sangvinem duxit, & Indolem hæreditario quasi Jure hausit sagacissimam, Virtutumque pulcherrimarum capacissimam. Ac primùm huic Luci erat expositus, nihil Parentes ipsius Laudibus jam suis maectati habuerunt prius, antiquius nihil, quàm ut Filium Illi suum, Fonte lustricò Ecclesiæ Christianæ, quæ & ipsa Rosarium quoddam est, illicò lustrari, à Maculis Peccati primigenii, Singulos nos deformantibus purificari, roseo item & purpureo Christi Sangvine purpureum quasi fieri, eoque, tanquam vitali cœlestis Gratia Succo, perspergi, irrorari & irrigari sinerent, non immemores, Servatori eundem suo,  
qui



qui & ipse Rosa in Sacris appellatur Pandectis, esse imparem, Floremque siccum & exsuccum; quod Puritatem nativam, ingenitamque Innocentiam, nulli Mortalium per Naturam adhærentem, attinet, quo ipso factum ut instar Rosæ explicatis apparuerit Foliis. Ingenii dein peracris, addiscendis Artibus Liberalibus perhabilis, & in ipsis quoque, quod ajunt, Herbis, maxima quæque minantis, Stricturas, maturè ostentavit. Ostentavit maturè, & intra ipsa quasi Fasciarum Ligamenta, in Ortus exurgere suos (ut cum Tragico loquar) Semina generosa, & è Squilla, quod in Proverbio est, non nasci Rosam. Pensi id, non susque deque habens uterque Parens, ut erant Pignoris istius sui amantissimi, & Perspicacitate non protritâ præditi, nihil quicquam in Se desiderari passi sunt unquam, quod Educationi prudenter & solerter instituendæ, quoque modo adminiculari, opitularique posse videretur, non ignari, quantum Præsidii, Momenti quantum, in recta & ingenua Educatione situm sit.

*Enimverò, quod Hortis plerumque Usu venire novimus, ut jam Frutex, Rosæ Parens, Opinione citius exarescat, jam ipsa Rosa Venustatis & Decoris omnis Compendium, Spem præter, Marcorem contrahat, & Frutici suo immoriatur, ita quoque ex insperato accidit, ut durissimam admodum RÖSNERUS, in tenella adhuc Ætatula constitutus, experiri cogeret Sortem. Patre enim, firmissimâ in Terris Destinâ, necdum quadrimulus, destituebatur, & Orphanis, quorum Conditio non potest non esse acerbissima, deploratissima, aggregabatur, & suo,*

Et Matris suavissima amarissimo, immanissimoque Dolore, quem atrocissimum istud *Vulnus* utrique infixisse, quis est, qui in dubium vocare audeat? In *Viduitatem*, quâ nihil tristius excogitari, dici nihil potest miserius, conjectam se redactamque videns Mater afflictissima, sollicitissima, omnesque simul *Curas* educandi illius, quem assiduis quæsitum *Votis*, feliciter pepererat, ad Se unam videns devolutas, *Educatricem*, ut erat *Sagacitatis* non *proletariæ*, providam egit et *sedulam*, nihilque eorum intermisit *supinè*, quæ *Officii Ratio* exigere videbatur. Quare omnes in id unice nunquam non intendebat *Nervos*, ut, quem *Patre orbum* videbat, *dolebat*, *Sibi*, suoque *Ingenio* ne per *Momentum* quidem relinqueret, suæque ipsum *Spontis* nunquam esse sineret, *Frena* illi neutiquam *laxans*. Cùmque non nesciret, fieri nullò *negotiò* posse, et *indies* fieri, ut qui *meras*, *Puer*, *Rosas*, spirare videbatur, *obherbescat*, *silvescat*, et *Spinis* se induat, *irremissò* allaborabat *Studiò*, summoque accurabat *Opere*, ne idemet *Sibi* quoque in *Educatione Filii*, quem *charissimum* *amantissimumque* habebat, eveniret, aut ex vero *insimulari* posset, *Jocordem* se et *desidem* in educando illo exhibuisse, idque hoc magis, quò minus ignorabat, eam *Puellarum* æquè ac *Puerorum Animos*, servare ut plurimum *Imaginem*, quam ii, quorum sub *Tutela* *adolescere*, *impresferunt*, perinde, ut *Arbores* et *Flores*, eum plerumque retinent *Statum*, quem à *Cultoris sui Ductu* *Flexuque* primùm accepere. Quid verò ad hæc *noster*? Is *frugi* se *Gnatum* probaturus, non *refractarium*, non *immorigerum*, non *Frena mordentem*, non *contumacem*, non *cervicosum*, aut dicto se minus *audientem præbere*, sed *Matrem*, quoad in *vivis* erat, *reperentissimè colere*, eique, quâ decet *Promptitudine*, *obsequi*, quin *jussa* ejus citius quàm præcepisset *penè*, *exsequi*.

Culturæ atque Institutionis per *Ætatem* *lubricam* factus *capax*, *Fidei* & *Disciplinæ* *solertium* quorumvis *Cultorum*, & *Pædotribarum*, mature à *Matre* fuit *commisus*, *Scholæque*, *fabrifien-*  
dis

11  
dis ex impolitissimis Lignis Apollinibus & Mercuriis, quin & effigiandis, è Spinis acutissimis, Rosis, adinventæ, admotus, non sine Spe omninò nulla, Scipioni eum aliquando firmissimo, & delenifico Solatio Matri, ex præmaturo Mariti desideratissimi Obitu, mirificè confusæ, & insolabiliter eum deploranti, futurum, solidissimè illam exhilaratum, viridemque ipsi & lætabundam Senectutem effecturum esse. Istanc de se conceptam Spem adeò non elusit aut frustravit, ut potius Scholam semel ingressus, spinosum omne actutum deponeret atque exueret. Efflorescere ab eo Tempore, Doctrinas saluberrimas, optimosque Mores, non secus ac Rosa Guttas rorulentas imbibere, utrobique cultior cultiorque, & semetipso indies ornator, floridior indies evadere, nec Florem solum, Folia, veluti Rosa quædam lætiùs latiùsque explicans, pulcherrimum indipisci, sed & Odorem de se longè fragrantissimum, spirare cocepit.

*Cùmque reliquos, Ætate Sibi suppare Sympalestritas non tam sequi, quàm antegredi, penes Animum constituisset, Speciminibus Diligentiæ suæ non unis, quo erat Ingeniû velocissimi felicissimi que Acumine, præditissimus, omnibus iis, quorum Informationibus & Instructionibus adjuvabatur, immane quantum se approbavit, eosque Sibi totos propitiavit, Commilitones verò longissimò post se intervallò reliquit, iisdem non tam exæquandus quàm anteferendus. Pietatem imprimis, principem inter Virtutes omnes Loco reponendam, & Choragium inter eas ducentem, quæ incontaminata est, sectari, indefessus studuit, eamque adeò Curæ habuit & Cordi, ut ab uno solius DEI nutu, penderet totus, &*

totum se, ad *Voluntatem ipsius*, *Matrem Sibi hanc Viâ praeuntem* videns, componeret. In *Cultu DEI*, & *Precibus*, quæ *Ecclesiæ Arma* sunt, ad *DEum* ardentissimè fundendis, perdius erat & pernox, eique soli confisus, de paterno ipsius *Amore*, hoc minùs indubitavit, quò egentio-  
torem hujus, se, paternâ, cui nihil in *Rebus humanis* conferendum, *Curâ*, destitutum, subintelligebat. Ex quo non potuit non fieri, ut firma ipsius in *DEum* *Fiducia*, magis magisque corroboraretur, & majora subinde *Incrementa* caperet, quandoquidem *Verbi divini Amore* imbutus, & incensus, *Notitiam DEI*, non tam ex admirabili *Rerum naturalium Contextu*, quàm ex ipsis *sacratissimis Literis*, *divinisque adeò Tabulis* hausit, quin & *Apis florilegæ More*, *Melliginem* sibi quandam, ex inexhausto *divinissimorum illorum Pratorum Myrothecio*, comparavit. Nec *DEum* solùm ritè cognoscere, sed & ritè cognitum, ex æquo colere & venerari, satagebat, duobus hisce *summis Capitibus*, tanquàm *geminò eoque indubiò Fulcimentò*, *Fidem* & *Pietatem Christianam* niti, sufficienter edoctus.

Quantum ex hisce *Crepundiis* & *Præludiis*, nihil non magni rariqve pollicitantibus, & communem *Sortis humanæ Mensuram* supergressis, *Gaudii*, *Solatiiqve* quantum hauserit *Mater*, exquisito aliàs *Luctu*, & *Dolore decumano*, tota tota perfusa, breviori *Verborum Paratu* enunciari non potest. Erecta extra *Controversiam* hæc talia inaudiens, alleccta qve in eam fuit *Spem*, fore, ut præceptam *Animi Destinationem*, *piam sanè*, minimèqve vituperabilem, frustraturus non sit, quin potius ex *Asse* illi responsurus, *Præconemqve Verbi divini*, *Temporis Successu* daturus. Nimirum, ut in *Oculis* eum semper habebat & De-  
li-

liciiis, ita non melius consultum perspectumque ipsi esse posse autumabat, quàm si illum ipsum, quem à DEO sibi donatum pernoverat, eidem redonaret, & non Mercaturæ, nec Politicæ, sed, quo erat exstantissimo Pietatis nec fictæ nec pictæ, in DEUM Zelo, & propensissimo in Mysteriorum divinorum Dispensatores, Affectu, futuris Ecclesiæ Usibus destinaret, ut Gregem aliquando DEI sibi committendum, pascere posset, & salutaria ipsi Dogmata, Cathedram Ecclesiasticam animando, proponeret & propinaret.

*Injecerunt quidem se Obstacula aliquam multa, quæ in excolendo AA. LL. Studio, feliciter & incitatissimo Cursu progredientem, & Spem, Expectationemque Matris non temerè conceptam, explere gestièntem, non tam revocare à Proposito, quàm prorsus abstertere atque abstrahere conabantur, is verò, omnibus his nihil territus, & Tele, quam pertexere aggressus erat, tenacissimè inhaerescens, alacriter in percurrendo Stadio pergebat, Spei & Fiduciae in DEUM innixæ & infixæ plenus, sereniorem sibi Fortune prosperioris Auram, tandem aliquando affulsuram. Neque Spes hæc ipsum sua sefellit. Quamvis enim Fortunam admodum novercantem aliquandiu fuit expertus, adeò quidem, ut per immite Bellonæ Flagellum, quo Patria tum affligebatur, & epidemium longè latèque serpens, sæviensque hinc inde, pestifera Luis malum, nec non crudelia Fata, quæ Ecclesiam, puriora Verbi divini Dogmata, tanquam Cynosuram Fidei & Vitæ unicam, instar Fili cujusdam Ariadnei sequentem, à Christo Nomen gerentem, & à Foriis Scoriisque Impuritatibus, repurgatam, citra Intermissionem id Temporis divexabant, nullibi ferè Locorum, tutò aliquantisper subsistere potuerit, sed Necessitatem jam huc jam illuc ultrò citròque migrandi, subire adactus fuerit, non desuit tamen, qui per Numinis Providentiam, succedaneas*

Pa.

Parentis demortui Partes ageret, atque obiret, & in tanto Rerum An-  
cipitio constitutum, Consiliò saluberrimò sublevaret, ita quidem, ut  
quicquid ipsi per acceleratum Parentis Obitum, illatum fuit Calamitatis  
& Infelicitatis, vicariâ ejus qui nominandus jam à Nobis est Curâ, sic  
satis refartum fuerit & compensatum, adeò compensatum, ut vix ger-  
manus Pater, plus præstare Filio à Se genito, aut abundantius persolve-  
re possit. Fuit autem is, Vir, Amplitudine Munerum quæ gerebat,  
multum venerabilis, & Juris Peritiâ, quæ mirè pollebat, oppidò præ-  
stabilis, **ELLAS BESCOVIUS**, Jctus famigerabilis, Serenissimi  
tum Electoris Brandenburgici, in Fortalitio Cüstrinensi, Advocatus Ca-  
meræ & Practicus primipilus, nec non Electoralis Civitatis Züllichov-  
viensis Consul & Syndicus, Meritis præclarus, qui RÖSNERI nostri,  
Orphanis tum, jam Cælitibus adscripti, Sororem natu Secundam, Ma-  
trimonii Vinculis sibi adstrictam habebat. Affinem Ille suum, non obi-  
ter dilectum, ne periclitandum fors haberet, & à cæpto desisteret, &  
Hospitiò excepit & Convictu, eique benignè & humaniter habito, Cu-  
râ, Inspectione, & Munificentiâ quæ ad paternam proximè accedebat,  
tantum Malagmatis & Delinimenti attulit, ut & Cicatricis suæ, crudæ  
adhuc licet & cruentæ, dememinisse potuerit, & cur ereptum sibi Pa-  
rentem conqueretur, Cause parum vel nihil invenerit.

At verò recruduit Opinione citiùs, Vulnus,  
quod nonnihil coaluisse, & Allevamenti quip-  
piam accepisse videbatur. Etsi enim in Phronti-  
sterium Züllichoviense intromissus, in Cultores,  
hoc est, Morum & Ingeniorum Formatores, non  
spernendos, promovendisque Juventæ Commo-  
dis, & aptissimos & studiosissimos, propitiò quo-  
dam Fatò inciderit, & Progressus illic non pœni-  
tendos fecerit, non licuit tamen ipsi esse tam feli-  
ci, ut ultra Annos bisbinos, ipsorum Curâ &  
Do-

Doctrinâ, quibus demandatus fuit, frui potuerit, nam & per omne illud Tempus, quo ibidem obhæsit, ambiguâ Belli gravissimi Mole circumcirca cinctus, & hac ipsâ tandem Sedem mutare, & aliò se recipere non præter Dolorem fuit adactus. Nimirum, ut Spes & Res Mortalium omnium, fragiles sunt & labiles, ita, bellicis Procellis magis magisque ingravescentibus, publicum quasi Justitium Docentibus Discitentibusque omnibus, indici, & Musis Gratiisque omnibus colligentibus, Malorum quædam Ilias omnium Cervicibus impendere, nec non extremum cuique Periculum imminere videbatur. Factum proinde est, ut irrigui illi Munificentia Rivuli, quibus intra Lares Affinis sui, non tam perspersus & inundatus, quàm totus permadidatus fuit, unâ cum limpidis Aganippes Fontibus, penitus sibi obstruerentur.

*Eò scilicet usque Furores Martii processerunt, ut dilaudatus modò BESCOVIUS, infinitarum Molestiarum, quibus, ob Fascium Consularium Fasces, tanquam decumanis quibusdam Fluctibus, totus adobrutus, & nullò ferè Momentò immunis erat, pertæsus, de Asylo aliquo cogitare, & quam Vitæ Fortunæque habebat Sociam, in Itineris quoque Sociam assumptâ, clanculum se, turbidissimis illis Belli Nubilis, subducere, necesse habuerit, electis in Præsidium conterminis Regni Poloniae Finibus, ad quorum Sinum, tanquam Portum aliquem, solorum Pedum Ope, appulit, relicta tantisper, dum, qui Fugam sibi imperaverant, creperi Tumultus, nonnihil deserviissent, Domi Ancillâ, quæ tamen & ipsa circa Noctis Meridiem, postridie ejus Diei, in Fugam se dare fuit coacta. ROSNERO quoque nostro, jam Securitatis, nullis amplius Tem-*

D

pesta-

*pestatibus expositæ, participi, tandem illinc avolandum, & ad lesqui-  
lapidem, Crancigium versus, exulatum fuit abeundum.*

Atque hinc videre mihi videor Fruticem quendam, Rosis, cumulatim, & Agmine quasi facta ex se prorumpentibus, confertissimè obsitum, continuoque Ventorum Impetu, diu multumque la-cessitum, vegetum tamen, & illæsum, addito Lemmate: NIL TERREOR ISTIS; Neque enim perterrescebat Noster, qui Cognomentò meras spirabat Rosas, Asperitate & Diritate Fatorum præliatorum, quorum crebrò Assaultu fuit conquassatus, neque Animò, Patriâ extorris, & in Exilio constitutus luctuoso, concidebat, sed ad Numen divinum Oculò respiciebat irretortò, indubitato sperans fore, ut pro Bonitate & Providentia illius, sibi cognitissima perspectissima, ad Fastigium aliquod, ubi tutò consisteret, pertingere, atque ab infelicibus illis dirorum durorumque Arietibus, ipsis Spinis acutioribus, nonnihil respirare posset. Quinimò, ceu Rosa Colorem, quo semel est imbuta, nec migrare solet nec mutare, non enim si rubra est, albescit, neque, si alba, rubescit, ita quoque Is, inter medias Tempestates & Procellas, quibuscum conflictabatur, semper idem, sibi que semper constans fuit deprehensus, promptus, paratusque, ad sustinenda & exantlanda omnia, quæcunque Supremum de se Numen, à Cujus solius sponte Res humanæ reguntur, statueret.

*Cete-*



Ceterum, tantum abest Spe ipsum suam fuisse dejectum, ut post paulo, tanquam DEUS ex Machina ipsi apparuerit, Vir, Honestate Generis, & Famæ Integritate, perquam laudabilis. GEORGIUS SEELE-  
 RUS, Regiæ Civitatis Meseritiensis Consul, Meritis quàm plurimis per-  
 inclytus, Prætorque ab Annis haud paucis Regius, & Mercator primi  
 Ordinis. Hic, ut Sororem natu majorem ROSNERI nostri, Fœdere  
 sibi maritali habuit alligatam, ita non potuit non, tenerrimò tenacissimò-  
 que ipsum, Consilii Auxiliique indigum, Amore prosequi. Et verò  
 prosequeretur, ita quidem, ut suis ipsum Inquilinis & Consalinis non in-  
 vitus annumeraverit. Consecutus illic subsistendi Occasionem capillatis-  
 simam, nec omninò incommodam, in Sinu quidem de impetrata ea læ-  
 tabatur, Spem verò sibi nullam, quod unum in Votis erat, ulterius in  
 AA. LL. Cultura progrediendi, ob insolitam & insolentem Martis Incle-  
 mentiam, esse videns residuam, missò Apollini Nunciò, ad Castra Mercurii,  
 etsi Latii Flores non desultoriè jam delibasset, transiit, sub ejus  
 Vexillo, Majorum suorum Exemplò, strenuè postideà militaturus. Illi  
 ergò consecratus, & Sacris ejus, intra Ædes Affinis sui ritè initiatus, id  
 unum erat sollicitissimus, ut in Mercuriali, quam exercere instituit Arte,  
 Tyrocinia talia præstrueret, quibus solidi quid in posterum superstruere  
 posset. Quare, ut in eam penitus introspiceret, ad Clepsidram aclitaba-  
 bat omnia, & cum perspectum probè exploratumque haberet, quàm  
 pretiosum Temporis irrevocabilis sit Dispendium, eò, omni allaborabat  
 Nisu, Conatu omni, ut Mentem à Meta semel præfixa nunquam refle-  
 ctens, nullam malè collocaret, aut inutiliter impenderet Horam. In  
 Calligraphia imprimis & Arithmetica, quarum neutra Mercaturæ Conse-  
 craneis, nisi Tiresia esse velint cæciores, carere possunt, intra Spatium  
 Temporis non longissimum, quàm erat Ingenii Capacitate, Spatia consecit  
 non exigua, subactumque prorsus se reddidit, edoctus simul, quàm Ratio-  
 ne Italico More Commentariensem agere, cum Laude possit, & alia in  
 Rem suam apprimè facientia. Præsidius hujusmodi instructus, Cælum  
 muta-

*mutare secum conclusit, eò potissimum Fine, ut oculatior in Re Mercatoria, quam nec ab uno Homine, nec uno in Loco addisci posse, non ignorabat, evaderet, & Augmenta majorra caperet. De Consilio autem eorum, quorum Voluntati resistere, nefas sibi semper duxit, Thorunium primum, Emporium in Prussia Regali, propter Vistulam situm, & varii Generis Mercibus instructissimum, nitidissimumque, non sine uberrima Necessariorum suorum Benedictione, commeavit, ad Lingvæ Polonicæ, cujus erat sitientissimus, Notitiam comparandam. Exactò hic non sine Fructu aliquo Temporis Intervallò, Lublinum, Emporium & ipsum, tractandorum Commerciorum Famâ celeberrimum, ab iis, quorum Sibi Voluntas instar Legis semper erat, salutare jussus, & Mercatoribus illius Loci florentissimis, ut in Accuratione Commerciorum, Operam ipsis navaret, iisque à fidei esset Ministerio, quàm enixissimè commendatus fuit.*

Quod ipsis accidere Rosis solet, ut non omne illis æquè arrideat Solum, sed aliò lætiùs succrescant, segniùs aliò, id quoque RÖSNERO, cui suus post Fata etiam Honos constat, eveniebat. Intercessit Illi quoad hoc Commercii quid cum Rosis, à quibus Nomen mutuatus erat. Alius & ipsi præ alio arrisit Loco, quæ tamen singula ita peragravit, perreptavitque, ut non tam Animum Cauterii Stigmate notaret, nec externum tantùm Ædificiorum & Palatiorum, Arcium & Propugnaculorum, Splendorem, perlustraret, sed Incolarum Mores & Instituta, solidè pernosceret, rariora ubi vis Cimelia, missis cariosis, curiosè pervestigaret, & si qua Laude & notatu digna occurrerent, sollicitè perquireret, Prudentiam Mercatoriam probè

bè concoqueret, quæ Bono publico promovendo vel procurando utilia opinabatur, cum Curâ perdisceret, & Patriæ suæ redditus, cum Cultu & Fructu ad eam perveniret. Redux factus, de stabilendâ Domo & Familiâ, Consilia agitare, Remque Mercatoriam, & familiarem, propriô, quod ajunt, Remigiô, dirigere cœpit. Dumque nihil horum, sine Vitæ Fortunæque Sociâ, cum Successu exoptato fieri posse, vel ipsam Rerum Experimentiam, cui conciliandæ, temporis multum, multumque Diligentia consecravit, eamque, tanquàm Apis extra Patriam sibi collegit, Testem haberet locupletem, de Conjuge dispicere, & in Matrimonium descendere, secum constituit. Trahebatur autem velut jynge, & tantùm non fascinabatur, harmonicâ illâ & flexicorde Morum Virtutumque Consensione, quâ eopse Tempore, dotatissima erat, Virgo, THEODORA WENDIA, ex Vetustissimâ, & quod mireris, ultra sesquiseculum, splendidissimâ Wendiorum Prosapia, oriunda, apud quam RÖSNERUS, jam intra Beatorum Contubernium receptus, Procum agere, facilè permotus fuit, non aliam dari temerè posse persuasus, quæ Spes ipsius & Vota, posset explere. Et verò hæc Ejus honestissima Vota, ex Asse sunt adimpleta, ita quidem, ut & admoderante Numine, & non abnuente Parente, quam ambiit & exambivit, felicibus Auspiciis Domum

E

duce-

duceret, & celebratâ A. MDCLVI. IIX. Kal. Martii, solenniori Ritu Festivitate Nuptiali, Matrimonium consummaret, tam bonâ tamque auspiciatâ, quod dicitur, Avi, ut nihil defuisse, quod ad summam Felicitatem optare habent Conjuges, videretur.

De cætero, cum *VVendia* pronubo Numine divino nuptum *RÖSNERO* data, non *Virtutibus* solum propriis iisque tantum non omnibus, sed & *Natalium* juxtâ ac *Majorum* Splendore, rarissimô admodum *Exemplô* excelluerit, *Operæ* Pretium erit & illos siccô hic planè *Soccô* non præterire, sed vel primoribus *Eos* *Labris* attingere. Agnovit quippe *Parentem* *Exsplendescentiâ* *Nominis*, & *Prudentiâ* verè *Senili* mirum in *Modum* conspicabilem, *JONAM VVENDIUM*, non ignobile *Subsellii* apud *VVschovenses* *Consularis* *Membrum*, nec ignobilem illic *Mercatorem*, de quo non immeritò dubitare licet, *Honorum* fuerit ditior, an *Divitiis* affluentior, & qui suo ipsiusmet *Exemplo* didicit, at utinam non didicisset! *Fortunam*, quò felicior est, eò esse fallaciorem. *Genetricem* contrâ *Fæminam*, *Virtutibus*, quæ in sequiori *Sexu* censeri solent *summæ* & *præcipuæ* à teneris, quod ajunt, *Ungviculis*, *asvesatam*, *ELISABETHAM*, *Prosapiæ* *CARISLANÆ* *innexam*. En! *Natales* *VVendie*, *RÖSNERO* *maritatae*, quos vel ipsa omnia arrodens *Invidia*, rodere non potest. Sed *Majores*, *Paternæ* *Stirpis*, fors sciscis, atque anqviris? Dabimus & hos *Avum* igitur *Stirpis* hujus, fuisse illi scias, *Virum* *singulari* in *Rebus* *obeundis* *Dexteritate* *Reipublicæ* *regundæ* *Prudentiâ*, præcluentem *MATTHÆUM VVENDIUM*, *Fascium* *Consularium* *Moderatorem*, *Aviam*, inter *Laudatissimas* *Præstantissimam*, & inter *Præstantissimas* *Laudatissimam* *Matronam*, *MARGARETHAM*, *natam* *SCHULTZIAM*, *viduam* *LAMPERTIAM*. *Proavum*, *Virum*, & *Meritorum* *Gloriâ*, & *Famæ* *Præstantiâ*, nullo *inferiorem*, *CASPAREM VVENDIUM*, *Consulem* è *primis*,  
Fæmi-

Fœminæ, Natalium Virtutumque Ornamentis fulgentissimæ, ANNÆ,  
 natæ GAUNERSDORFFERÆ, Consortiō maritali associatum. Abavum,  
 Virum cum Prudentissimis Cordatissimisque quibusvis comparandum,  
 MATTHÆUM VVENDIUM, Consulari & ipsum Ordini associatum,  
 Maritumque, Fœminæ, nullis non Virtutum Muliebrium Axiomatibus  
 præcellentissimæ, ANNÆ, ex priscō admodum, eoque præclarō,  
 LAMPERTIORUM Sangvine, prognatæ. Soror quippe, Hæc fuit,  
 Viri summè Reverendi, Nobilissimi, Amplissimi & Consul-  
 tissimi, MATTHÆI LAMPERTI, J. U. D. Canonici VVratislavien-  
 sis, Archi-Diaconi Mega-Glogoviensis, & Præpositi Ratiborensis,  
 qui, ut gratam sui apud Posteris relinqueret Memoriam, Monumentumque,  
 portentosis Fabricarum Molibus, durabilius longè, longèque perennius  
 sibi erigeret, non exiguam Divitiarum suarum, tenuioris Sortis  
 & Fortunæ iniquioris Hominibus, consecravit Partem, & ex irriguō  
 Facultatum suarum Fonte, quo velut Torrente quodam inundatissimus  
 erat, Rivulos aliquot, in paupertinos A. A. LL. Alumnos, deduxit,  
 Stipendia ipsis opima, promovendo eorundem Commode destinata, per  
 Tabulas ultimas delegando, hisque ipsis dispensandis, MATTHÆUM  
 VVENDIUM, suis modò Titulis præsignitum, A. MDXLVI. constituit  
 Patronum, permanetque adhuc dum, Vigore Testamenti, libera Rivulorum  
 illorum, hodieque manantium, Erogatio, penes LAMPERTIANOS non minus  
 quàm VVENDIANOS Heredes. Enarratis sic & retextis Majoribus Paternis,  
 qui RÖSNERÆ, & Ipsi Beatorum Concilio jam insertæ, Decus non  
 exiguum, si quid Rerum rectè intelligo, conciliant, Materni quoque,  
 qui & quales fuerint, reticendi non sunt. Nec reticebimus & Illos.  
 Avus maternus, BALTHASAR CARISIIUS dictus, Vir fuit, Nobilissimus,  
 Amplissimus, atque Experientissimus, Phil. nimirum & Med. D. à Praxi,  
 quam vocant Medica, Mega-Glogovie, percelebris, Avia, CHRISTINÆ  
 Nomine insignita, Fœmina, Matronalis Decoris Fastigium emensa,  
 è MENZELIORUM Prosapia descendens. Proavus, Nobilissimus & Ipse, Excel-  
 len-

lentissimus, *Experientissimusque Vir*, JOHANNES MENCELIUS, Phil. & Med. D. *Reipublicæ Mega-Glogoviensis Ordinarius & Practicus perinchtus. Proavia, Fæmina, Dotibus omnibus frugi & honeste Notæ Matronam consummantibus, apprimè, & ad Nitorem usque exculta, ANNA è SENFLEBIORUM Genere non degenerare progenita, & Viri Amplissimi, Consultissimique, MARTINI SENFLEBII Jcti non incelebris & Officio Regio, in Ducatu Mega-Glogoviensi à Secretis, Filia, Laudis Præconiô, siqua alia, dignissima.*

Sed de his, quamvis longè plures, si anxie velimus inquirere, nominari possint, plus satis dictum habemus, nimis enim longum foret, & à Proposito nostro alienum, si ulterius ascendere, & proluxiores, in enumerandis WENDIÆ, nuptum RÖSNERO elocata Majoribus, vel Sangvinis vel Affinitatis Vinculô Ipsi annexis, esse vellemus, nec est, quod iisdem intra tam arctos Pagellarum Modulos, quibus quidem nos videmus inclusos, illi autem includi nequeunt, allegandis, diutius immoremur, cum Suos illi Encomiastas dudum sint nacti, & non tam ex Majoribus, quàm ex sola Virtute, & bona Mente, Gloria vera emergat.

E Diverticulo itaque ergò his missis & prætervectis, in Viam, unde defleximus nobis est redeundum, & RÖSNERI Matrimonium, quæ felix illud fuit, quæque calamitosum, unà cum Muniis quibus exornatus fuit maximis, & Vitæ laudabiliter exactæ Exodiô, edisserendum, atque emetendum. Felicitatem Conjugii Roesneriani columbini

bini planè, quod attinet, duobus ea illis. ex Capi-  
 tibus, in quibus Arx Deliciarum Amœnitatum-  
 que conjugalium posita est, & quæ Vitam Con-  
 jugum omnibus Numeris beatam conficere pos-  
 sunt, & consummare, venit æstimanda, continen-  
 tissimâ puta concinentissimâque Harmoniâ, &  
 lætissimâ Sobolis non unius, talique Conjugiô di-  
 gnæ, Geniturâ. Vidisses hîc insolitam prorsus in-  
 usitatamque Animorum Conspirationem, vidis-  
 ses ferventem, & indies quasi renascentem Amo-  
 rem mutuum, vidisses concordissimum Volun-  
 tatum Concentum, vidisses Fidem utrinque illi-  
 batam, amantissimum Sui vidisses utrumque  
 Conjugum. Mirificissimè videlicet concinebant  
 Mores atque Instituta Ipsorum perpetuò, ita cer-  
 tè, ut per ipsos XL. Annos, & quod excedit, qui-  
 bus summâ sibi invicem Concordiâ advixerunt,  
 alter non reperiret temerè, quod Jure de altero  
 conqueri, vel desiderare in eo posset. Incredibile,  
 nec contractiore Verborum Ambitu & Gyrò  
 circumscribi pote est, quantum exinde Gaudii,  
 Voluptatis innocentissimæ quantum, ceperit u-  
 terque, siquidem Maritus Conjugem sibi sensit,  
 blandis Laborum Onera Solatiis, diffidentem,  
 lurida Curarum Examina, depellentem, honestis-  
 simis Pectus Gaudiis replentem, jugi Virtutum  
 Exercitiô, continuam lætandi Occasionem præ-  
 bentem, se foventem, suspicientem, ad Nutum se

F

illius

illius totam convertentem, Senectæ Onus non le-  
vissimum valdè allevantem, & perfectæ, Modis-  
que omnibus absolutæ Conjugis, Ideam quan-  
dam repræsentantem. Conjux contrà, Maritum  
habuit effusissimò se Amore prosequentem, Sin-  
ceritate neutiquam fucatâ complectentem, Parti-  
bus suis quoad ejus fieri poterat, nullibi non ex  
Asse satisfacientem, de accurandâ, ampliandâque  
Re familiari providentem, & Pietatem inprimis  
Mente seriâ, non fictâ, excolentem, ita, ut vix ul-  
lum temerè luculentius Conjugii suaviter & ju-  
cundè transacti, Exemplum, reperiri posse existi-  
memus. Nec defuit huic Matrimonio, ut lætis  
Auspiciis contracto, ita per Annos quater denos  
conjunctissimè exacto atque extracto, quæ Con-  
juges comitari solet probos, Benedictio divina,  
cùm quaternò id Puerperiò lætum fuerit & fœ-  
cundum, Rosetoque cuidam ob Fœcunditatem  
non absimile.

*Editus nimirum susceptusque ex illo est, Filius, unicus quidem, sed  
tali Torò dignus, Vir Nobilissimus, Amplissimus & Consultissimus,  
idemque, tam magnificâ Autoritate quàm Prudentiâ exquisitâ, & re-  
spondendi de Jure Solertiâ Eminentissimus, JOHANNES GODO-  
FREDUS, Reipublicæ Thoruniensis Consul, de procurandis promoven-  
disque publicis illius Commodis, longè meritissimus, Fœminæ Nobilissi-  
mæ, & non solum ad examussitatum Sexûs sequioris Exemplar fabre-  
factæ, sed & supra communem Sexûs sui, Seculique Genium, ob Pieta-  
tis, Morum, Virtutum & Elegantiarum, quibus circumstipatissima est,  
Satellitium, evectæ, ANNÆ CATHARINÆ, Viri Laude nostrâ*  
Su-



Superioris, JOHANNIS KISLINGII, Reipublicæ Thoruniensis Vi-  
 ce-Præsidis, & Natalium partim Splendore, partim Rempublicam admi-  
 nistrandi Solertiâ, partim Nominis Celebritate, partim Rerum benè ge-  
 starum Gloriâ, aliisque Honorum Magmentis, Exsplendescentissimi, deque  
 amplissimis Officiis suis, præclarissimè olim meriti, utinam adhuc dum  
 merentis, & Commodis Patriæ, quam sibi reddidit devinctissimam, in-  
 vigilantis, Filie unice, Vinculis Maritalibus adstrictus, cui tanquam  
 unico Familiæ Ræsnerianæ Propagatori, non possumus non, continuum  
 Florem, Viriditatem perpetuam, Felicitatem suò Genere dignam, &  
 quæcunque Hominis Vota esse possunt, hac ipsâ Occasione, ex penitissi-  
 mis Cordis Reecessibus apprecari. Filio huic unico, jungenda, & latissi-  
 mæ Liberorum Ræsnerianorum Propagini, accensenda est & Filia, AN-  
 NA ELISABETHA, Fœmina Emendatissima, & Virtutibus Se-  
 xum muliebrem decentibus, condecoratissima, Viri, ab Humanitatis &  
 Affabilitatis Præconiò maximè commendabilis, ADAMI SCHUL-  
 TZII, Negotiatoris Exercitatissimi, & intra Poloniæ Fines Cognitissi-  
 mi, prosperarum ac dubiarum Rerum Socia, quæ Familiam Ræsneria-  
 nam passim Locorum Caput efferentem, & cum splendidissimis quibus-  
 vis paria facientem, duabus Neptibus adauxit, quarum posterior,  
 THEODORA, Spem de se conceptam, cum & felicissimæ Indolis, &  
 Virtutis non simplicis Specimina non una, optimorum Parentum Gaudiò  
 jam edidisset, præcoci admodum & immaturò Obitu interceptit, & in ipso  
 Ætatis Flore, Trienniò necdum completò, Floris instar defloruit, prior  
 verò ANNA ELISABETHA, infra Pubertatis Annos adhuc consti-  
 tuta, & ad omnem Pietatis Honestatisque Cultum diligenter formatur  
 atque educatur, & Domi nîl aliud quàm viva Virtutum Exempla in-  
 tuetur. Referenda quoque in Numerum Proles Ræsnerianæ est, Fœmi-  
 na, Venustate Formæ, Morum Amabilitate & rarissimis Animi juxtâ  
 ac Corporis Notibus commendatissima, Sexûsque sequioris Luminibus  
 obstruens, THEODORA CATHARINA, quæ Viro Amplissimo,  
 Prudentissimo atque Integerrimo, MATTHIÆ BERGEMANNO,  
 primi-

Theodora

primicerio VVschovenſium Conſuli, & diffuſæ admodum Famæ, Fidei-  
que minimè temerata Mercatori, conjugalem Fidem dedit, & ſplendidis-  
ſimæ, cui Originem ſuam debet Familiæ, eximium planè Decus & Aug-  
mentum addidit, bis binis Amoris Pignoribus, è caſtiſſimò Uterò in Lu-  
cem editis, Nepote ſcilicet unicò, FRIDERICO, in Pietate, nec non Ar-  
tibus Moribusque optimis, Paterni Exempli Æmulatione, feliciter ado-  
leſcenti, & ad maxima quæque natò, jamque præclari quid & Paren-  
tibus & Cognatis applaudentibus, minitante, ternis identidem Neptibus,  
BARBARA DOROTHEA, ROSINA ELISABETHA, & AN-  
NA CATHARINA, quæ & letiſſimè efflorefcunt, & Matrem Lau-  
dis Præconiò digniſſimam, Virtutibusque rariſſimis radiantem, æquis  
Paſſibus ſequuntur, & ab Eâ diſcunt, qua Viâ, ad ſummum Sexûs fæ-  
minei Faſtigium eniti oporteat. Quarta denique & ultima, è fœcundò,  
& Fœcunditate nulli ſecundò, Conjugiò Rœsnerianò prognata Proles  
fuit, Filia ROSINA CHRISTINA, ſed in ipſo Ætatis Limine ex-  
tinctâ, & Funere maturrimò elata, ab inſperatâque moriendi Neceſſi-  
tate defoliata quaſi reddita, impreſſâ infantili Exemplò ſuò Parentibus,  
Mortis Memoriâ, quibus illud Poætæ velut oceinebat :

Vidi Ego manè Roſam, naſci cum Lumine Solis,

Et vidi rurſum, Sole cadente, mori.

Perspiciuum ex modò dictis eſſe arbitror ſuâ,  
id Conjugii, quod ſuperficiariè deſcriptum dedi-  
mus, Felicitate deſtitutum non fuiſſe, ſed nec, quæ  
Piorum quorumque Comes eſſe ſolet Calamitas,  
Pede illud claudò deſeruit. Et ad hanc quidem,  
eſſi Copia & Multitudo illius tanta ſit, ut vel con-  
ſummatus Orator omnem ejus Meſſuram adim-  
plere nequeat, Stylò tumultuariò, & concilio  
Verborum Paratu, deſignandam, nunc ferimur,  
accingimur. Nunquàm Roſæ Spinarum ſunt ex-  
per-

27

pertes, sed iisdem circumvestitæ & circumvallatæ, quòque excrescunt magis, eò densiores illis durioresque Spinæ concrescunt. Obnoxia sunt & ipsæ, expositæque, jam Ventis impetuosissimis, jam Pluviis densè cadentibus, jam Æstui Marcorum inducenti, jam grandi obvia quæque contundenti & concutienti Grandini. Non absimile quid de evocato in cœlestem, Frigoris omnis, omnisque Æstûs expertem, Patriam, RÖSNERO venit pronuntiandum. Tantum enim abest, ut à Calamitatibus ille atque Adversitatibus, immunis fuerit & expers, ut Fluctus earum & Impetus, ad Abundantiam potius sit expertus, nec enim lætô solummodò Prosperitatis Vere, quod Rosis producendis accommodum, circumdatus, sed & asperrimâ Ærumnarum & Solitudinum Hyeme, Tristitiæ cujusdam Imaginem sistente, infestus fuit & divexatus. Etenim, etsi Conjugium Ipsius, ob allegatas modò Rationes, nec Diuturnitatis exfors fuerit, nec Dulcedinis, sed melleum quodammodo & saccharatum, id tamen Mellis, ut Res Hominum incertæ sunt, nullôque firmô Tibicine suffultæ, Felle subinde amarissimô non unô, conturbatum, & Alœe usquequaque ingrâtâ, adulteratum fuit.

*Post consummata illicò Nuptiarum Solennia, VVschovæ celebrata, illinc discedere, Terga dare, & ob cruentum truculentumque quod id Temporis inciderat, & nulli non Hominum Generi, deleterium & funestum*

nestum erat Bellum, Züllichovium se cum acceptâ paulò ante, utriusque  
Fortunæ Sociâ, recipere, necesse habuit, cumque & illuc ceu communiter  
feri assolet, hostiles Invasiones atque Irruptiones appetere, cerneret, &  
ut Sedem ibi figeret, parum consultum sibi fore, deprehenderet, mutatò  
derepente Consiliò, Svebosium, Familiam Domumque transtulit, & inte-  
grum illic Biennium substitit, vel sic, ab inclementissimò vehementissi-  
mòque, immanissimæ immitissimæque Bellonæ Flagellò, ejusque Incursti-  
bus & Injuriis, tutum se asserturus. Enimverò, cum neque publicum  
hic Loci Cultûs divini Exercitium, inestimabile illud Cimelium, liberum  
esset, ac permissum, neque sufficiens ad tractanda cum Fructu Commer-  
cia, Commoditas sese offerret, facile intellexit, ut erat Rerum intelligen-  
tissimus, in Rem suam haudquaquam fore, si diutiùs intra Urbis illius  
Pomæria commoraretur. Idcirco his valere jussis, postliminiò Züllich-  
ovium unde digressus erat, regredi sustinuit, eum potissimum in Finem,  
ut, qua erat in Negotiis expediendis Circumspectione & Dexteritate,  
Res suas in melius magis magisque eveheret, & transferret. Successus  
quidem hic optatus Eum non destituit, sed nec destituit, cui ab ineunte  
Ætate adsvetus erat, Ærumnarum Cumulus. Jam enim Fortunam quan-  
doque benignam reperit, & sic satis obstetricantem, jam verò novercan-  
tem eam, qua est Inconstantia & Levitate, est expertus, attestantibus id,  
quæ propriâ Ipse fidelique Manu consignavit, Mercimoniorum Rationa-  
riis. Marte postdeinceps Arctoò, in Marchiam Brandeburgensem, cater-  
vatim acervatimque irruente & irrumpente, eamque, tantum non omnem  
inundante, Locò rursus cedere, Vasa colligere, & VVschovam nihil  
cunctabundus revolare, instituit, ad sævissimam Fulminum Bellicorum  
Rabiem, subterfugiendam, & rabiosam eorundem Scævitiem, evitandam.  
Pedem hic acprimùm fixisset, (fixit autem A. MDCLXXV.) non  
tam illi adversorum malorumque Colluviei, cui declinandæ hucusque de-  
sudaverat, ereptum se, quàm totum sentiebat immersum. Verè immer-  
sum! A Tergo & à Fronte immersum. Turma enim Turbaque Mi-  
litis præsidarii non exigua, citra Moram, Hospitiò erat excipienda, &  
susli-

*sustinendæ dein exantlandæque Copiarum hostilium Exactiones & Di-  
reptiones, quibus Fortunæ Opesque ipsius non potuerunt non adeò atteri,  
& everti, ut Res ejusdem, multiplicatis Infortunii Procellis, non labefa-  
tata solum sed & collapsæ viderentur.*

Supersedeo hîc exquisitô Verborum Appa-  
ratu, acerborum, asperorumque omnium, quâ  
publicorum, quâ domesticorum, acutissimarum  
quarundam Spinarum instar exhibentium, qui-  
bus frequentissimè oppugnatum, expugnatum ta-  
men nunquam fuisse ipsum novimus, Numerum  
inire, & Catalogum illorum contexere, huic enim  
concinnando, vel Tulliana quædam vix sufficit  
Svada. Contumax tamen ille pertinaxque Mœ-  
ror, quem ex Obitu nunquam satis deplorandô,  
Conjugis Desideratissimæ, in qua, neque quoad  
Pietatis, Virtutum primæ & maximæ, Culturam,  
neque quoad Morum Innocentiam, neque quoad  
Virtutum Sexui Muliebri decorarum, Præco-  
nium, neque quoad Rei Oeconomicæ, operosæ  
admodum, Accurationem, neque quoad Amo-  
ris denique mutui Exercitium, ad ipsa usque ex-  
trema desiderari quicquam potuit, ipsum conce-  
pisse, tam certum est quàm quod certissimum,  
minimè hîc est reticendus. Quantoperè enim  
hujus suæ THEODORÆ, Doni verè divini, quadra-  
genarius illius Possessor, Amissione, excruciatu  
fuerit, & Senio inprimis ingravescente, conturba-  
tus, Nemo quisquam meliùs, quàm Conjuges, re-  
cipro-

ciproca se Charitate amplectentes, decidere possunt & decernere. Hos namque facile Ego mecum consensuros esse opinor, fulminantem id Genus Tempestatem tantæ esse Malignitatis, atque Atrocitatis, ut ipsam veluti Animam, nullò præfocare possit Negotiò, sicubi in Delicatum unum aliquem, & Sepulchrum dignum ea inciderit. Quo interim Animò, quaque Constantiâ, istud penetrantissimi Vulneris, & Funeris moestissimi, exceperit, vix ullâ Verborum Solertiâ, quæ vel disertissimum aliquem Fabium delassare posset, efferri est pote. Nôrunt, si quid rectè judico, quotquot familiariter ipso usi sunt, Fulminibus Eum, Pondere non minùs quàm Numerò magnis, circumcirca cadentibus, nullibi non percussus, adeò non abjecisse aut despondisse Animum, ut impenetrabili potius Patientiæ Galeâ, adversus ea se obfirmaverit omnia & singula. Cujus quidem Rei, evidens admodum Specimen, eopse Die, quo alteram Sibi Cordis Portionem, Conjugem intellige dulcissimam, disruptò tenacissimò Conjugii Vinculò, sibi vidit ereptam, seque illius, quo nihil suavius in his Terris habebat Consortiò, privatum, & viduatum, id quod ipsis Sacrorum Quinquagintadialium Vigiliis, circa duodecimam Noctis Horam, A. MDCIC. VI. contigisse, meminimus. His enim placidissimè defecit, postquam Annos LX. demptis Diebus paucis, honestissimâ Famâ vivens, confecisset. Quo-

Quotusquisque est, qui nesciat? Rosam, quæ  
 Nomen RÖSNERO nostro suum indidit, dum ad-  
 huc, ruptis nondum Tunicis, intra fastigiatum illa  
 suum Nodum aut Conum hæret, Gemmæque si-  
 milior quàm Flori, se nondum aperuit & evoluit,  
 exterioribus quibusdam iisque laciniolis Cortici-  
 bus, & Membranulis esse obvolutam, & quasi ob-  
 munitam. Obmunitum se quoque & obfirma-  
 tum adversus Vim Doloris non minimi, undique  
 ivit RÖSNERUS, pro eo, ac decet, Patientiæ Cly-  
 peo, Senectutis suæ Fulcimentò maritalique Ad-  
 jumentò se videns destitutum, constitutumque  
 in Viduitate, Luctûs & Squaloris non experte, pa-  
 ratum se exhibens, ad excipiendas, quæ erant Pieta-  
 te, Sagittas, desuper sturnatim in se delabentes, ni-  
 hil eorum indignabundè ferens, sed cum Animò  
 suò cogitans, humanitus quid accidere cuivis Ho-  
 minum non rarò solere. Perhibent Naturæ My-  
 stagogi, Allia inter, Rosam spirare fortiùs gratiùsq;.  
 Neque hac in Parte Nostro, quicquam cum Rosâ  
 Discordiæ intercessit, sed harmonicè quasi cum eâ  
 concinuit. Quò enim magis Procellarum Agmi-  
 nibus atque Examinibus, percellebatur & concu-  
 tiebatur, hoc minùs malis cedebat; sed impavi-  
 dum se exhibebat. Concinnè admodum con-  
 gruèque, ad Viduitatem, concatenatis Adversitati-  
 bus expositam, æquiparat se Rosa, Folia sua amit-  
 tens, ab Æstu mox absumenda, & excoquenda,

H cum

cum Epigraphe: NON REDITURA VOLANT. Hæc talia, & Animô RÖSNERUS Viduus volvebat, & Oculos simul ab eo, à cuius solius sponte Res humanæ pendent, nunquam reflectebat, non nescius, nec Hominis esse mala sua non sentire, nec Viri, eadem non ferre.

*Viri, & Boni quidem Viri, qui, quò rarior, eò in ultimâ hac Mundi Colluvie carior, & Nomen, & Partes, non gerere solùm, sed & tueri & defensare, cum semel in Animum induxisset, omnes illius Numeros, adimplere, ad grande usque Senium, imò ipsa vitæ terminalia, omni Ardore studuit & Contentione. Quare non potuerunt non tam egregias Egregio publico Operas præstiturum, & ad procuranda promovendaque illius Commoda fabrefactum, Honores, iique maximis stipati Officiis, comitari. Ceu Vara Vibiam, secundum Proverbium, trahere solet, & Laborem Præmia sequi, sic Honor post se traxit Honorem. Singulos Ordine signabimus. Renunciatus primum est Deputatus Regius, post deinde, Scabinatus Assessoribus adnumeratus, Prætor porro, & Ædis Sacræ Antistes constitutus, & in Collegium denique Consulare accitus & cooptatus, facitque has Dignitates omnes, non Numerus solum spectabiles, sed Fides quoque & Integritas, quâ administratæ. Diligentissimè enim atque haud scio an omnium dexterrimè, commissis Sibi Functionibus præfuit, Mores elimatissimos, Famam integerrimam, innocentissimamque Vitam, per omnia sectans, & nullius Rei, quàm Pietatis, Pacis, Modestiae, Lenitatis, & Æquitatis studiosior, adeò, ut Nemo de ipso tam multa, tamque magna possit prædicare, quin multò majora & plura Encomiis supersint. Ut neque Obsequium Lenitate neque Asperitate Amorem corrumperet, sedulò & diligenter Operam dedit. Operam dedit, ut omnium & haberetur Optimus & esset. Fateantur oportet, quotquot Necessitudinis vel intimioris Amicitiae Nexu, devincti ipsi fuerunt, nihil illi luctuosius, Deploratione, Gemitu & Indignatione, dignius nihil*



bil accidere potuisse, quàm observâsse, dari, qui publicum Bonum defraudant, Contentiones alunt, Lites disseminant, Rixas fovent, Altercationibusque student. Dari, qui inconcinnâ Titulorum Congerie, delectantur & abripiuntur, Ambitionis Æstu titillantur & dementantur, Holophantas, Æruscatores, Quadruplatores, & Æris alieni Decoctores, Veteratores, qui Fidem temerant, & Animum Cauterii Stigmate cicatricatum, circumferunt. Dari, pessimi Sulphuris Furfurisque Homunciones, qui insuper habitô omni & neglectô, Æqui Honestique Studiô, privatam, Ordine præposterô, publicæ præponunt Salutem, nihil solliciti de eo, quod vel Encomium conciliare, vel concitare Improperium, vel Favorem DEI parare, vel parere illius Odium potest. Hos inter, Ille, Sceleris purus, pro eo, ac Virum probum, cujus Insigne, & ipsam suppeditare Rosam in propatulo est, decet, tam catam, tamque cautam vivendi Rationem instituebat, ut semper rosei, hoc est suô Nomine & Genere digni quippiam efficeret, è Spinis Uvas colligens, inter ipsas Spinias, nihil Spinarum gerens, calceatus inter illas incedens, lentisque Deliberationibus nullus intepescens, sed vel ex Arenâ Consilium arripiens.

Illustriores inter Fimum Rosæ sunt, & conspectiores. Conspectior & Noster fuit inter Homines nauci & titivilitii, ne tantilli quidem ipsos faciens, & sic nihil Dissidii fovens, cum Rosâ, inter Fimum Folia expandente, & florente, cui Subscriptio addita: QVA SIS AB ORIGINE SPECTES; probè sciens, Verrucam in Facie faciliùs ferire Oculos, quàm in Pede vel Tergô. Non ignorant, quibus aliqua cum Ipso Familiaritas intercessit, Gratiam apud Eum, nec Pretiô, nec Prece, unquam promercalem fuisse, sine Solatiô miseris ab Eo nunquam dimissos, nunquam se Largitionibus

bus corrumpi passum, malâ Fide Muneribus suis nunquam defunctum esse. Experti sunt Eum Homines singuli, Amicum bonum, Pupilli, Patrem providum, Viduæ, Curatorem diligentem, Cognati juxtâ atqve Agnati, Fautorem officiosum, Egentiores, Datorem munificum, Pauperes, Nutritorem largum, Boni, Patronum sincerum, mali, severum Catonem, Verbi divini Præcones, Largitorem beneficum, Res familiaris, Oeconomum indefessum, Curia, Consulem prudentem, Respublica, Lælium cordatum, Liberi, Altorem fidum, Ædes sacra, Antistitem non tralatitiè meritum, totaque adeò Communitas, commune Bonum. Et istud quidem Laudis non tam ex Adulatione, aut placendi Studiô proficiscitur, sed cum Veritate, Adulationis omnis experte, amicissimè conspirat. Cæterùm, & ob publicam eamque creberrimam Oraculorum divinorum, quibus mirum quantum delectabatur Auscultationem, & ob privatam, eamque assiduam, Meditationum Sacrarum, quibus erat intentissimus, Lætionem, commendari meretur.

*Quicquid faciendum Sibi fuit, cum Curâ expeditum dedit, Rosciumque Se, qui RÖSNERUS erat, approbavit, quo ipso & Viri Boni Laudem reportavit, & Boni Communis Nomen obtinuit. Non diffitebuntur, si qui sunt integri Rerum Æstimatores, & Judices æqui, Probitatem, in Ipso, cum Prudentiâ, Prudentiam cum Modestiâ, Modestiam cum Integritate certâsse, Honorem Ipsum cuique suum decenter*

tri-

tribuisse, Superiores reverenter coluisse, Collegas candidè amâsse, Neminem quenquam temerè offendisse, Nemini cuiquam malitiosè offecisse, nullius Commodis obstuisse, & Consilii inopibus, non invitum Auxiliò venisse. Sicubi Injuriam Sibi à quoquam sensit illatam, æquò eam ferebat Animò, ad ignoscendum se exhibens longè paratissimum, alienissimum longè à Simulatibus, quas totâ Mente aversabatur, execrabatur, perpetim fovendis. Functiones, quibus non paucis neque exiguis, nunquam non distringebatur, ut à Precibus exordiebatur, ita perfunctoriè & superficialiè non exsequebatur, quapropter & pleræque omnes, felicem sortiebantur Exitum. Vita Ejus, à Mundi Triscurriis, Vanitatibus, atque Illecebris, blandientibus quidem, sed de repente è vestigio evanescentibus, remotissima, à Sobrietate & Temperantiâ nunquam dissidens & discordans, Fraudiumque & Artium malarum expers fuit, quâ Ratione & Sanitati suæ plurimum profuit, & tam suis quàm alienis Negotiis, dextrè obeundis, Aptitudinem, & Animi Tranquillitatem, illam Senectutis Nutriculam, quâ nihil jucundius esse existimamus, sibi conciliavit. Quin & Amorem Favoremque sibi conciliavit, Maximorum, Medioximorum, Minimorum, adeò quidem, ut & Ipsis quoque Magnatibus, exstiterit gratus, qui Gratiâ & Benevolentiam in Ipsum suam, plenò quasi Cornu & Sinu effundere, non sunt dedignati.

Reliqua, angustiiori Chartæ Spatio inclusus & angustiiori ad cogitandum Morâ exclusus, si candidâ hîc Confessione omiserò, quàm rectissimè commendatum me ivisse, confido. Minimè tamen omittendum hoc Locò & dissimulandum esse arbitror, qualem se gesserit in Aulâ Regiâ post absorptam à Vulcani rabie, & in Cineres redactam, Wschovam, tantum non omnem, publicò illuc Nomine ablegatus, non enim Re infectâ rediit, sed benè illâ gestâ & expeditâ, totam redux

Communitatem, ita exhilaravit, ut Utilitatum per  
Eundem partarum, nec dum hodiè, Oblivio  
quæquam ceperit, sed gratâ illæ ab omnibus Men-  
te recolantur, prædicentur. Res id ipsa loquitur,  
& plenô universa Civitas Ore attestatur, quænimò  
notius longè & exploratius est, quàm ut hoc de-  
mum Locô à nobis debeat commemorari. Ipse  
Ego, quoties recordor (recordor autem frequen-  
tissimè) quos conferre mihi cum Ipso licuit Ser-  
mones, toties Animo quasi meo obversatur, co-  
mis illa Gravitas, & gravis Comitas, quas Animo-  
rum Conciliatrices felici admodum Conjugiô, &  
Sororiô quasi Vinculô, copulatas, laudabili Arti-  
ficiô ita miscere, ita temperare didicerat, ut in A-  
morem atque Admirationem sui, unumquem-  
que rapere & pertrahere potuerit, neque enim  
quisquam vel de illâ, Jure unquam conquestus,  
vel hac temerè abusus est. Illâ, malos arcebat, hac,  
alliciebat bonos, Rosam hinc ipso & ad bona pa-  
rienda, & ad depellenda mala, aptam natam, ex  
Asse adæquans. Dicitur Rosa Scarabæis Exitio  
esse, eosque Odore suô enecare, Apibus contra  
mellificis, Saluti ea est. Saluti & Noster fuit, Bonis  
quibusque, Nemini verò nisi Solis Exitio Malis,  
vel sic ad Rosam proximè accedens, Scarabæis  
hinc, illinc Apibus oblectam, cum Inscriptione:  
HIS SALUTI, ILLIS VENENO. Subit adhuc Ani-  
mum Memoria, quàm Ille nullius Amorem, vel  
fœdâ

foedâ Adulatione, vel turpi Offerumentô exam-  
biverit, sed inusitatis Ingenii Dotibus, ultrò impe-  
traverit & meritissimô suô assecutus sit. Animô  
adhuc mecum cogito, nunqvam ipsum Offuciis  
aut Oblectationibus Vulgi, qui optimarum Men-  
tium Character est, captum, nunquam Res illas  
Plausu persecutum esse, quæ frequenter Virtutis  
Specie fallentes, inani Titulô blandiuntur. Et ut  
Rosa, quæ Olfactum Odore, Colore Aspectum,  
Tactum Lenitate delectat, apud Hieroglyphicos  
Scriptores, jam bonæ Famæ, jam Humilitatis, jam  
Patientiæ, jam Silentii, jam Innocentiæ, jam Chari-  
tatis, jam Puritatis, jam Tolerantiæ, jam Mansve-  
tudinis, jam Lenitatis, jam Fœcunditatis Symbo-  
lum præbet, ita quoque, si RÖSNERUM, Paradiso  
jam cœlesti & ultramundano, si Animam con-  
templêre, illatum, quoad hæc omnia, gemellam  
Rosæ Imaginem exhibuisse, asseruero, nã Ego ve-  
reor, vel, ut latum à Veritate Ungvem recessero,  
vel, Rosam cum Anemona comparavero.

*Sed cum & Fragilitatis Caducitatisq; humanæ, Similitudinem quan-  
dam minimè fictitiã, Rosa subministret, de Morbô & Morte RÖS-  
NERI, cujus Anima, Paradisiacis jam Rosis, iisque, DEO & An-  
gelis, benè olentissimis, est adscripta, dicamus, restat. Fuit aliòquin  
per omnem propemodum Vitam, inter Ærumnas inexpugnabiles, inex-  
plicabilesque Sollicitudines, quibus cum Itinera permulta conficiens, tum  
Negotia permagna expediens, tanquam Spinis compungebatur, ætam,  
& ad summum ferè Ætatis humanæ Terminum, à Mose præfixum,  
exactam, Valetudine satis commodâ, satisque firmâ usus, Rosæque instar  
vixit*

viruit & vigit, sed non exigua Viriam suarum Decrementa, per aliquot in Eo Annos, manifestissimè notare licuit, præsertim, ex quo Pedum Dolore & Tumore infestari cepit. Marcere se itaque indies atque elanguescere, & Vires Corporis juxtà atque Animi, inprimis autem Memoriae, cum crescente Ætate decrescere multumque de vegetò illo Alacritatis pristinae Vigore, sensim sensimque, inò sensibilibiter decedere, intelligens, & tanquam Rosam se emarciturum post Tempusculum non omninò longum, prævidens, Lectione Sacri Codicis, qui Narthecium quoddam est, ipsam Nardum pisticam exsuperans, Prece incessabili, in qua Vita omnis, Nobis omnibus est traducenda, Cantilenis piis, aliisque id Genus divinissimis Meditationibus, quarum Exercitiò per omnem Vitam mirificè recreabatur, seque totum illis devovebat, procul omnibus Mundi Vanitatibus & Deliciis, nunquam non sibi perosis, ad Discessum, ex hac Rosarum, ( Spinarum dicere volebamus ) Valle, jam pridem se accinxit, Mentem Cælo agnatam, ad Cælum erigens, præ Mundanis cælestia, Amorum divinorum plenus, Animò cogitans, sicque decretorium Marcorem suum, paratissimus expectans, & omnia, à cælestibus aliena, Animò suò longè ejiciens.

Maturas autem penes Ipsum fuisse Mortis Meditationes, certissimò præter alia Documentò est, quod & de Quietoriò, in Coemiteriò Submœnianò, & de ferali Capulò, pro condendâ in Eo fragili Corporis Sarcinâ, conficiendò, dudum ante fatalem cogitavit Horam. Hujus Anteambulo, minimè fallax, Catarrhus erat apoplecticus, quocum, ut aliquandiu jam conflixerat, ita Diebus, Ferias Anastaticas proximè præcedentibus, solito vehementiùs, illo infestabatur, adeò quidem, ut illis ipsis Feriis, Coetui se publico, quem, sicubi per Valetudinem adversam non impediebatur, liben-

bentissimè frequentare solebat, Virium Imbecillitate prohibitus, non adjungeret, nec Templum accedente inprimis Svasu Amicorum Necessariorumque Hortatu, frequentaret, sed, intra Lares se suos contineret, Domique Precibus & Suspiriis vacaret, de absorpta per Salvatorem Mundi, in Victoria Morte, ex Animò gaudens. Nihil equidem, accitò Sanitatis Magistrò, Remediorum saluberrimorum, tam internorum quàm externorum, quæ & Morbi Natura requirebat, & Ægrotantis Conditio admittebat, non adhibebatur, nec quicquam omissum Curæ, quæ & Morbo maturè Obex poni, & Valetudini consuli possit, sed nihil etiam illis omnibus, quæ vel recuperandæ Sanitati, vel expugnando vel mitigando huic Malo, aliàs facere videbantur, vigilantissimus Corporis Curator profecit, etsi nihil temerè negligeret, nihil parùm dextrè administraret. Fatalis Ictus, Nemini evitandus, & hìc in tantò Ancipitiò evitari non potuit. Exquisitâ, ab Arte Medicâ depromptâ Ope, incassum adhibitâ, & omnibus in pejus magis magisque sublabentibus, ex Indiciis minimè dubiis, minimèque obscuris, Mortem quisque adstantium, instantissimam collegit.

*Quemadmodum autem Sol, jam jam occasurus, pulcherrimus ac desideratissimus nobis videtur, ita quoque RÖSNERI Virtutes, quibus vel Invidiâ non diffitente, ad Ultima usque eminuit, in ipso Mortis Collimitiò vel maximè emicuerunt. Nec fatalis longè Hora absuit.*

K Feria

*Feria enim illius Hebdomadis, quæ Memoriam Mortis à Redemptore nostro triumphatæ, nobis subinsinuat, erat tertia, qua, & quidem circa Vesperam illius, à Catarrhò Apoplecticò, tanquam Fulmine quodam, denuò, non tam tangebatur, aut attentabatur, quàm concutiebatur & opprimebatur. Hic enim & ferali Illum strato affigebat, & Auditum actutum præcludebat, & Linguam, reliquasque Corporis Partes, quò minus suò fungi possent Officiò, impediabat, & Vires simul omnes, non frangebat, aut debilitabat, non consumebat aut atterebat, sed uno veluti Ictu & Actu prosternebat, exhauriebat, atque erodebat, ut tanquam Folia quædam Rosarum defluerent. Prostratis sic atque erosis RÖSNERI, & Corporis & Animi Viribus, ab extremis proximè abesse Ipsum, Nemo non assistentium præfagiebat, quæ & post Moram non longissimam, ingruebant, siquidem postridie illius Diei, quo in Lectum conjectus erat, XVII. nempe Kalendas Majas, A. MDCC. circa Horam XII. diurnam, inter medias præsentium Preces & Cantiones, Dormitabundo similis, (nam & Lethargo inexplicabili implicabatur) instar Rosæ elanguit & emarcuit, postquam Annos LXXIII. Hebdomadas XIII. & Dies III. satur Vitâ, Miseriâ satur, non tam vivendo quàm florendo exegisset. Sit Animæ Ipsius, ab Animæ Sponso, qui in mysticò Epithalamiò gratiosa Cæli Rosa audit, in paradisiacum alterius Vitæ Rosetum, nullis Ventis aut Tempestatibus expositum, sed Æstûs Frigorisque omnis expers, è Miseriarum Valle tratatæ, & Gaudiò interminò perfruenti, benè! sit eternùm benè! Corpus emarcidum atque emaciatum, in Spem certissimam Revirescentiæ, Tumulo illatum, & Terræ commissum, utut virere desierit, & vigere, Rosa tamen ne sic quidem esse desit.*

Rosam enim id Mihi clausam, ast Flori vicinam, & Folia mox explicaturam, referre videtur, cum Inscriptione: **EXSPECTAT SOLEM.** Solem quoq; terrenæ illæ, Terrâ oblectæ RÖSNERI Reliquiæ,



quæ, exspectant, Solem, inquam, Justitiæ, & ipsæ  
 aliquando, si ultimum illud Ver illuxerit, ceu Ro-  
 sa, quædam reflorescent, revirescent, & Viridita-  
 tem, in infinita Secula non finiendam, indipiscen-  
 tur. Nos interim Viro, tot Virtutibus, tot Digni-  
 tatibus, tot Meritis, addo, tot Magnatum Amicitiiis,  
 post Fata quoque fragrantissimo, fragrantis in  
 Urnâ Crocos, ac Ver perpetuum apprecamur,  
 Schema Ille & Hieroglyphicum Rosæ, ne Mortuus  
 quidem deposuit, sed ut arida quoque Rosa, suis  
 non destituitur Utilitatibus, & si non Visum, Gu-  
 stum tamen, atque Odoratum reficit, & recreat,  
 sic Is, hac licet Vitâ evocatus, Posteritati tamen  
 Exemplar, pulcherrimarum Virtutum reliquit  
 imitandum, & suâ, inter Laudes, non ementias,  
 non emendicatas, exactâ Vitâ, docebit Posteros,  
 quâ Viâ, ad Honoris & Gloriæ Fanum sit conten-  
 dendum. Non insolabiliter quidem, sed leniter  
 Eorum ferendi sunt Obitus, quos in meliora trans-  
 latos non dubitamus, temperare tamen nobis mi-  
 nimè possumus, quin, quotquot Pignorum &  
 Consanguineorum Ræsnærianorum Nomine ve-  
 niunt, delenificam Ejus, qui in Fletu Solatium  
 est, Gratiam, medullitus apprecemur. Imò verò,  
 ex ipsâ Animi Mente iisdem Omnibus & Singu-  
 lis, apprecamur, ut Felicitati Ipsorum, quâ hac no-  
 strâ Ætate fruuntur, nihil unquam desit, Eorun-  
 demque Flori, qui omnium in se Oculos hucusq;  
 con-

convertit, nihil unquam derogetur, nihil decedat.  
 Wschovensi pariter Reipublicæ, cui post recipro-  
 catam toties totiesque Malorum Iliada, vix respi-  
 rare datum est, apprecamur, ut non solùm Eo-  
 rum, qui ad Clavum illius sedent, & Commodis  
 ejusdem invigilant, Prosperitas, facta tecta conser-  
 vetur, sed & Omnium benè merentium, eique  
 benè cupientium, frugi Filiorum & Civium Vo-  
 tis, Eventus nunquam non ex Asse respondeat.  
 Damnum cœteroque, per ereptum hunc Senem,  
 Ætate & Prudentiâ talem, eidem illatum, acer-  
 bissimè lugemus, idque hoc magis, quò minùs  
 Inficias iri potest, Mala, Mortem, tantorum ple-  
 rumque Virorum, consequi solere, plurima, ma-  
 xima. Nam si eo Tempore, quo canis Consiliis  
 peropus esse videtur, Senes, Prudentiâ præ-  
 clari eripiuntur, magnò id eoque  
 tristi Auguriò, carere  
 vix potest.

